

Reverendiss. et Ill^{me} Princeps, Cardinalis amplissime.

Pax Christi.

Foecundum ac liberale gaudium est, opportunus, in praesenti filiorum necessitate, matris occursum. Exposui nuper per Ill. C. V. **5** Sedis Apostolicae, duorum insignium virorum, animarum curam in locis ab avita religione alienis agentium, libros sectariorum legendi necessitatem, annuit per Amplitudinem V. votis supplicantium providentissimus Pater, cuius paterna et benedictione et gratia, vel iam effectum, ut futuri uberis fructus flores, in Christiano grege sese **10** laeta fronte ostendent. Par omninò, aut etiam maior aliorum duorum cum sit necessitas, non vereor, pari aut etiam maiori ausu ac libertate, eam Amplitudini Vestrae humiliter proponere.

Alter horum est, Iacobus Hackerus SS. Theologiae doctor, eiusdemque in ~~per~~vetusta archiducali academia Friburgi Brisgoviae, **15** professor ordinarius, vir exquisitae et consummatae prorsus eruditionis, et qui eò loci, confessione omnium, parem sanè non habeat. Is duodecim retrò annis in collegio Romano sub P. Alexandro de Angelis ex universa philosophia; quadriennio post, ex tota theologia sub pieae memoriae patre Mutio Alexandri Germano, positiones (quas Ill^{mo} **20** Dño Octavio cardinali Paravicino inscripsit) publica et laude et loco propugnavit.

Alter est, Ioannes Alberti bonus similiter philosophus et theologus, in scholis nostris Herbipoli et Ingolstadii annos amplius decem excultus. Praefuit hic undecim prope annis oppido Merspurgen- **25** si (residet hic ordinariè episcopus Constantiensis) fructu sane longe maiori, quam a quoquam seculari sacerdote, vel expectari vel sperari unquam potuisset: populum initio susceptae parochiae admodum languidum, indefesso labore ad eam pietatem traduxit, quà concionibus matutinis, quibus valet egregiè, qua pomeridiana rudium **30** catechistica institutione, ut ex mille ducentis plus minus animabus quas curat, nec unam se habere existimet, quae non quater in anno

1 / minimum sacrā exomologesi expiata, ad coeleste epulum accedat. Multum ad eam rem potuit insignis vitae viri innocentia, quae voci ipsius dedit vocem virtutis, et quod caput est, zelus domus Dei multo maximus. Moverunt haec D. Abbatem Weingartensem, ut per se alio-

5 / que virum hunc multis sollicitaret, pro suscipienda Ravenspurgen-
sis oppidi parochia, cuius abbas collator est, maiori ex parte haereticā. Flexere tandem et huius et singularium amicorum, dicam et meae preces, cum primis tot millium animarum irreparabilis interitus, viri mentem, ut Merspurgensi parochia resignatā, aliisque

10 / peramplis conditionibus ad quas R^{mus} Basiliensis antistes honorificentissimis litteris evocaret in alienam dioecesim, neglectis, Ravenspurgen-
sis ecclesiae administrationem laboriosissimam susciperet in qua quia parum fructus facturum se praevidet, in tam conferta haereticorum turba, nisi et eorum libros legere, et praedicantium

15 / seu conciones seu clamationes adire possit; supplicat ipse humillime, uti et prior D. Iacobus Hackerus, id ut sibi facere salva conscientia liceat, eiusque faciendi potestas per bullam Apostolicam confirmetur; quod ut fiat, et quam citissime fiat, rogo et ego ex parte supplicantium, animi demissione quanta possum maxima. Illustriss.

20 / Cels. V. me et unā mecum adolescens collegium nostrum humillime commendo. Constantiae 23 Augusti A° 1606.

R^d.mae et Ill^{mae} C. V^{rae}

Devotissimus in Christo servus et filius

Joēs Dannenmeijr è Societ. Jesu.

25 / Bullam pro Dnō D. Fornerio necdum vidimus, et cum eā alteram pro Weingartensi monasterio cupidissime etiam praestolamur. Abbatis litteras nil dubito quin iampridem Ill^{ma} C.V. acceperit.

Reverendissimo et Illustrissimo in X^{to} Principi ac Domino, Dnō Roberto S.R.E. Cardinali Amplissimo et Domino suo observandissimo. Roma

30 /

Romam.

(cachet S.J.)

München, Reichsarchiv. Jesuitica in genere. Fasc. 19, n. 324. (au verso la réponse en minute autogr.)